

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechthildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput IV. Quod tribus modis dominus debet laudari.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

CAPUT III.

DE QUINQUE VERBIS LAUDIS DIVINÆ.

ALIA vice, cum gravi laboraret ægritudine, dixit ad Dominum : « O quam pauper modo sum spiritu, quæ nec laudibus te extollere valeo, necorare! » Cui Dominus dignanter respondit : « Lauda me his verbis : Gloria tibi, dulcissima, nobilissima, fulgida, semperque tranquilla et ineffabilis Trinitas. Tunc ego hoc verbum, *dulcissima*, unire volo meæ divinæ dulcedini ; et hoc verbum, *nobilissima*, meæ excellentissimæ nobilitati ; hoc verbum, *fulgida*, meæ inaccessibili luci ; et hoc verbum, *tranquilla*, meæ inquietæ requiei ; et hoc verbum, *ineffabilis*, meæ inedicibili apponam bonitati : sicque placitissimo modo venerandæ Trinitati per memetipsum præsentabo. »

SS. Trinitati
laus in
Christo.

CAPUT IV.

QUOD TRIBUS MODIS DOMINUS DEBET LAUDARI.

ITEM, vidit Dominum inenarrabili claritate circumdatum, habentem in pectore folium ex argento perspicuo, in cujus circuitu erant inæstimabiliter decoratæ singulæ passionēs Sanctorum, quas pro Domino pertulerunt. Ibi enim in Domino contemplabantur omnia merita et dignitates eorum, quia nunquam adeo parvum pro ejus amore fecerunt, aut

In laude
Deus
maxime sibi
complacet.

perpessi sunt, cogitatione, verbo vel opere, pro quo æternam mercedem non consequantur, et ipsi sine fine Dominum glorificant pro omnibus donis suis. Dixitque ad Dominum : « O dulcissime et amantissime, in quo maxime complacet tibi ut me exerceam ? » Qui respondit : « In laude. » Et illa : « Eia, doce me ut digne valeam laudare te. » Tunc instruxit eam Dominus tres modos quasi tres ictus, dicens : « Primo, laudabis Patris omnipotentiam, qua in Filio et Spiritu Sancto secundum velle suum operatur, quam nullius creaturæ capit immensitas in cœlo et in terra. Dehinc Filii inscrutabilem sapientiam, quam plene cum Patre et Spiritu Sancto communicat secundum voluntatem suam, omni remoto impedimento, quam nulla creatura ad plenum capere potest. Deinde Spiritus Sancti benignitatem, quam abunde cum Patre et Filio communicat secundum omnem voluntatem suam, quam etiam nulli creaturæ plene participat. »

Pulsans ad
Cor dilecti
sui anima
laudem
exprimit.

Cumque anima tali modo ad Cor dilecti sui pulsaret, et illum taliter laudaret, repente in ipso ictu totum cœlum insonuit, et ait Dominus : « Secundus modus seu ictus est, quod me laudare debes pro omni gratia et dono, quod effluxit de abundantia meæ bonitatis in meam Virginem Matrem, quæ omni gratia et bonis abundantius erat repleta, quam unquam aliqua creatura ; et etiam pro omni gratia omnibus Sanctis data, qui jam in præsentia meæ divinitatis in iucunditate adstant, et me fontem omnium bonorum cum jubilo intuentur. »

« Tertius est, quod me laudare debes pro omni gratia et dono quod effluit de me in omnes homines : in bonos, quos mea gratia sanctifico et confirmo ; in peccatores, quos ad pœnitendum invito, et cum misericordia ad bonum expecto ; et etiam in omnes animas quas gratia mea quotidie a purgatione absolvo, et ad cœli gaudia perduco. »

Ad primum videbatur sibi quod legere deberet *Tibi decus et imperium, tibi gloria et potestas, tibi laus et jubilatio in sempiterna sæcula, o Beata Trinitas Deus*; ad secundum, *Te jure laudant, te adorant, te glorificant omnes creaturæ tuæ, obeata Trinitas. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio*; ad tertium, *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in sæcula, Tibi laus*. Post hæc, secundum desiderium animæ, ornamentum illud, quod erat in pectore dilectoris sui Jesu, divisit se, et anima intravit mellifluum Cor Christi, ibique unus spiritus cum Dilecto effecta, procul dubio gustavit et vidit quæ non licet homini loqui.

CAPUT V.

DE TRIBUS QUÆ DEBET HOMO REVOLVERE MENTE.

ITEM instructor ejus, omnium optimus magistrorum, dixit ei : « Tria te docebo, quæ quotidie meditando animo revolvas, et multa tibi inde provenient bona. Primo igitur, recole in gratiarum actione quanta tibi bona feci in creatione et redemptione : scilicet, quod te hominem ad imaginem et similitudinem meam creavi, et propter te homo factus, post innumera quæ sustinui tormenta, amarissimam pro amore tui subii mortem. Secundo, cum gratitudine recole quanta tibi beneficia exhibui, ab hora nativitatis tuæ usque ad præsens ; scilicet, quod speciali dilectione de mundo vocavi te, et multoties me animæ tuæ inclinavi, replens et inebrians eam dulcedine meæ divinæ gratiæ, illuminans cognitione, et inflammans dilectione ; et quod quotidie in Missa ad te venio, paratus omnia desideria tua et voluntatem adimplere. Tertio,

Gratiarum
actio pro
triplicibus
Dei
beneficiis.